



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus X. Oratio mentalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS. X. ORATIO MENTALIS.

## §. I.

## Figura, Symbola.

## Ex Veteri.

**F**ormatis igitur Dominus Deus cunctis animantibus terræ, adduxit ea ad Adam &c. Gen. 2. 19. Statuens Deus coram eo tot genera creaturarum, potentia suæ infinitæ contemplandæ ei præbuit materiam. Et sequitur: *immisit Dominus Deus soporem in Adam*: quem soporem Sept. dicunt quandam *extasim* fuisse. Et credo, extasim illam causatam fuisse ex Bonitatis, ac Majestatis, Dei infinitæ consideratione; quam ostendit in formatione tam diversarum creaturarum. Quod si illa creaturarum diversitas sufficiens fuit, extasim in Adam efficere; multo profecto sunt mirabilia opera redemptionis nostræ, & efficaciora ad causandam extasim in nobis; si cum cordis puritate, profundæ: ac assiduæ ejus contemplationi incumbemus; ob cujus defectum nec diligimus, nec admiramur, tam stupenda opera, quæ pro nobis fecit Deus. Diez conc. 2. in Com. Virg.

*Sume tibi aromata - equalis ponderis; cumq; in tenuissimum pulverem contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij.* Ex. 30. 34. Aromata sunt opera, quæ divinus Redemptor noster pro nobis operatus est; lacrymæ, suspiria, sanguis, charitas ardentissima &c. Et sicut aromata, nisi conterantur, & in ignem mittantur, nullum ex se odorem emittunt: sic, nisi reparationis nostræ mysteria ruminantur; parum ex ijs fructus, & consolationis, elicietur. Id. conc. 1. D. 2. Epiph.

Duplex genus orationis significant duo altaria in templo: alterum vocabatur holocaustorum, quod in atrio situm erat sub dio; alterum thymiamatis, quod interioriorem partem templi occupabat. Ex. 35. 15. 16. Prius significat orationem vocalem, alterum mentalem; quæ ad sancta sanctorum propius accedit, & Deo proximos reddit. Pinna in Eccl. Eth. 170.

*Ite, & considerate terram, urbemq; Jericho.* Jos. 2. 1. Nec verbum aliud legitur addidisse: cum tamen Duces tot alia, eaque munitissima, mittendis exploratoribus soleant ingenere: quia agitur de exploranda anima. Richardus à S. Viç. apud Godefr. considera te terram, quam Deus fecit; urbem, quam humana conditio instituit. Discutite bonum, quod Deus creavit ad bonum nostrum; & malum, quod homo invenit ad malum suum. Si naturæ bonum cognoscimus; scimus quid excolere, quid nutrire, quid multiplicare, debemus.

Si malum morum nostrorum perspicimus, quos hostes cavere, quos adversarios impugnare, quales interficere inimicos oporteat, non dubitamus. Ramirez in ep. 4. 21.

*Gaudetq; vehementer, cum invenerint sepulchrum.* Job. 3. 22. Sicut sepulchrum locus est, in quo absconditur corpus; ita divina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quò absconditur anima. Quasi enim adhuc huic Mundo vivimus, cum mente in ea foris vagamur: sed mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internæ contemplationis celamur. S. Gregor. Mor. 1. 5. c. 4.

*Accedet homo ad cor altum.* Pl. 63. 8. Illos significat, qui res divinas piâ intentione perquirunt: cor enim altum tunc est, quando cœlestia cogitat, & terrena devitat. Cassiodorus hic.

*Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Pl. 67. 28. De eo autem prædixit Jacob pater ejus. Gen. 49. 27. *Benjamin lupus rapax &c.* Intellectus contemplativus prius inquirat veritatem, & pascitur illâ; postea verò dividit illam, & impartitur voluntati. de Ponte in Cant. 1. Exh. 9. §. 3.

*Tu, & arca sanctificationis tuæ.* Pl. 131. 8. Rich. à S. Viç. l. 1. de arca myst. c. 1. ait per arcam sanctificationis rectè intelligi gratiam contemplationis.

*Osculetur me.* Cant. 1. 1. Insinuat scientia Dei affectiva: nam Canticum ad scientiam spiritus elevat, quæ cognitionem, & amorem Dei, comprehendit. S. Ambros. l. de Isaac, & an. c. 2. osculetur nos Deus, quando cor nostrum spiritu divinæ cognitionis illuminat, id est: quando infundit supernaturale lumen, quò divina mysteria penetrat, veritates fidei percipit, & affectum simul amoris. de Ponte hic Exh. 2.

*Meliora sunt ubera tua vino.* ib. Quotiescunque ad legendas, vel meditandas, divinas Scripturas acceiseris, cogitare debes, ad ubera Dei te accedere; ut ex illis fugas lac sapientiæ, devotionis, & amoris. Sed oppones: Paulus dicit, lac esse parvulorum nutrimentum 1. Cor. 3. 1. Hebr. 5. 12. Quorsum ergo sponsa jam matura ubera laudet? R. agnoscit parvitatem suam, & infantiam. *Sicut modò geniti &c.* 1. Petri 2. 2. Id. hic Eph. 7. §. 2.

*Introduxit me rex in cellaria sua.* Cant. 1. 3. Sept. versio apud plures Patres valde recepta: *introduxit me Rex in cubiculum suum.* Id. hic Exh. 8. Cellaria hæc sunt loca quædam abdita quietis, & reflectionis; ut animosiores reddantur ad iterum pernitiùs currendum: & representant recondita fidei nostræ mysteria; vel ea, in quibus hæc mysteria continentur; sive sint Scripturæ, sive creaturæ, in qui-

quibus sunt perfectiones Creatoris. Id. ib. §. 1. Per cellam vinariam cum S. Gregorio, & S. Bernardo, intelligimus studium orationis. Id. in Cant. 2. Exh. 29. §. 1. Cella vinaria est domus orationis, ac studium orandi, & meditando: in ea enim Deus proponit Fidelibus vinum consolationis, exultationis, amoris, & fervoris divini. Ità S. Gregor. Cassiodorus, Haymo, Bernardus &c. Gregorius ità loquitur: quid per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam aeternitatis contemplationem accipimus? In hac aeternitate Angelus Sancti vinò sapientia inebriatur, cum ipsum Deum facie ad faciem videntes omni voluptate spirituali satiantur. Hanc sancta mens, si à sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus, intrat; in qua ex illis Angelicis delicijs, quantum sibi conceditur, gustat. Porro vinum, quod in cella Dei bibitur, est charitas, & amor, inquit Guilielmus Paris. hoc vinò nihil calidius, sapidius, calidius. Cornelius in Cant. 2. 4.

*Sub umbra illius &c.* Cant. 2. 3. Statim addit: *& fructus ejus dulcis gustari meo.* Nam qui se jactat sedere sub ejus umbra, mysteria Christi meditando; & fructus nullos capit; otiosus sedet: & contemplatio ejus dicenda potius sopor, pigritia; aut mera speculatio scientia, quæ inhiat. de Ponte hic Exh. 26. §. 4.

*Dentes tui sicut greges tonsarum.* Cant. 4. 2. Dentes sunt discussiones discretionis, quibus meditationes spirituales, & cogitationes cordis, cernuntur, & comminuantur, ac discernuntur; an puræ sint, & veraciter bonæ; an sint à Deo vel à spiritu malo; vel à corde humano. Rich. à S. Viêt. hic. c. 17.

*Capilli tui sicut greges caprarum.* Capilli sponse sunt meditationes sanctæ: quæ, sicut capilli crescunt in capite, ità oriuntur in mente. Qui capilli capitis comparantur propter quasdam similitudines. Capræ enim inquirendo pascua alta montium, atque arborum petere solent, & etiam ruminant. Ità meditationes sanctæ semper ad alta tendunt, & ad spiritualia atque coelestia investiganda, & cognoscenda, laborant. Id. ib. c. 16.

*Oculi tui sicut piscine in Hesebon.* Cant. 7. 4. Anima sanctæ bini oculi sunt, meditatio, & contemplatio. Hesebon idem est, quod *cogitatio, ruminatio, computatio, affirmatio*. quia vis, & fructus, meditationis consistit in profunda, & serâ ruminatio, estimatione, ponderatione, mysteriorum fidei. Idem enim multi Fideles, licet credant cœli præmia, & gehennæ tormenta; ijs tamen non moventur ad abstinendum à peccatis, & ad observandas Dei leges: quia illa non perpendunt, non ponderant. Cornelius hic.

*Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Cant. 8. 5. Quasi de deserto animus humanus ascendit, quando super semetipsum mentis elevatione transit: quando semetipsum in imo deserens, & ad cœlum usque pertransiens, solis divinis se totum per contemplationem immergit, & devotionem. Rich. à S. Viêt. de arca myst. l. 5. c. 14.

*Polyanth, Sacr. Tom. II.*

*Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Eccl. 14. 22. Beatum illum dicit, qui sanctarum rerum meditatione sapidam quandam Dei scientiam curat adipisci. Diez conc. 1. D. 3. Epiph.

*Homo sanctus in sapientia*, scilicet intellectus, manet sicut sol. Eccl. 27. 12. Et de malis Sap. 5. 6. *Sol intelligentia non est ortus nobis.* Sicut enim sol Mundum, ità intellectus suis cogitationibus, & notitijs, animam illustrat. Et sicut radij solis, quoadusque in aliquo objecto sistunt, debiles sunt: ut in media aeris regione perspicitur; qui, quia illic non sistunt, sed velociter transiunt, nullum calorem gignunt: ut primum autem ad terram, aut ad quidquam aliud firmum perveniunt, calorem causant, & aliquando ignem accendunt, si v. g. in speculum reverberent: sic cogitationes ex intellectu, velut radij ex sole prodeuntes, priusquam in voluntate sistant, debiles exeunt; si verò in ea sistant, ipsaque sit, ut speculum, tersa, & munda; divinum amorem inflammant. Sicut David expertus Pl. 38. 4. *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Ideo Christus Fidem sinapi comparat Matth. 13. 31. Sunt alia semina tam parva, & minora etiam grano sinapis, quibus Fidem posset conferre; nisi aliud, quam parvitatem, respexisset. Ità etiam utcumque parva Fides in intellectu sit, si dentibus conteratur, id est voluntatis affectione, & ruminatione; statim ipsa voluntas inflammatur. Rom. 1. 17. *Iustus ex fide vivit;* id est, iustus ex fide, tanquam principio justificationem suam elicit; & per illam consequitur gratiam, quâ vivit. Diez. conc. 2. in festo S. Francisci.

### Ex Novo.

*Mittens duos ex Discipulis.* Matth. 11. 2. Hi sunt Discipuli, scilicet intellectus, & affectus; quibus omnis homo, nisi omnino infirmus, sociatur. Proinde inclusus in carceribus peccatorum hujusmodi Discipulos mittit ad Christum: ab ipso, quid agendum? quidve diligendum? aperte cognoscitur. Sim. Cas. l. 3. c. 3. hic.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis &c.* Matth. 13. 31. S. Hieron. quis est iste, qui seminat? nisi sensus noster, & animus: qui suscipiens granum prædicationis, & fovens sementem humore fidei, facit in agro sui peccatoris pullulare. Cum verbum Dei meditatur, ardens granum sinapis in corde serimus, quod cor incendat, illique medeat. Sinapi lacrymas ciet. Si non consideras, si non conteras; mirificam hanc vinâ non experieris. Barradius tom. 2. l. 10. c. 6 D. 6. Epiph.

*Voca operarios.* Matth. 20. 8. Operarii in hanc vineam vocandi: primò manè voca considerationem rerum aeternarum. Hic operarius eximius vineæ, qui illam sylvescere non patitur. Barradius t. 3. l. 5. c. 16. D. Septuag.

*Osulabatur pedes ejus.* Luc. 7. 38. sunt etiam duo labia, quibus Domini pedes

l. l.

mendi

premedi sunt; affectus bonus, & intellectus verus; de quibus Job. 8. 21. dicitur: *repleantur labia tua jubilo*. Jubilo verò est ineffabilis mentis lætitia, quam lingua explicare non novit: quò repletus affectus bonus; cum per gratiam, & gloriam, ineffabilem recipit bonitatem; & intellectus verus fulgentissimam suscipit, & inextinguibilem claritatem: quos semper velut labia quædam aperiri à Domino postulat David Ps. 50. 17. dicens: *Domine labia mea aperies*; ut affectus ad bonum, & intellectus sit apertus ad verum. Sim. Cals. l. 8. c. 4. hic.

*Venite, & videte*. Joan. 1. 39. Totos initiabat fore mentales, & remittebat introrsum, ut mente viderent. Nam quid illis corporeis oculis ostensus erat, qui corporale habitaculum non habebat? Hòc sensu Psalmista ait Ps. 45. 9. *venite, & videte opera Domini*. Ad intelligentiam, & internam considerationem, homines vocat; ut mente intelligant opera magna Dei. Id. l. 9. c. 8. hic.

*Collyriò inunge oculos tuos*. Apoc. 3. 18. Collyriò cœlestis sapientiæ, ex consideratione divinorum attributorum, Passionis Christi, & futurorum bonorum, tuorumque malorum; ut sic pellas mentis tenebras. Sylveira hic.

### Ex Patribus, & alijs.

Est intellectus rerum spiritualium, & invisibilem, verus animæ panis confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo, qui non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia ei videntur, gemat, & lugeat dicens: *aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Ps. 101. 5. S. Bernardus l. 2. in annunt. B. V.

Quid, vel quale est, aut esse debet spiritualis viri Sabbathum, nisi secreta, & quieta meditatio rerum spiritualium? Rupertus l. 5. in Matth.

Trutina similis est animæ consilium; mens verò, quæ ducis vice fungitur, funiculum tenet. B. Theodoretus in Ps. 118. 112. inclinavi cor meum ad faciendas justificationes.

Lapillus in piscinam, aut lacum, missus, circulos facit innumerabiles; & hoc idem non facit in flumine: quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Seneca l. 1. qq. nat. 2. Qui fit, quòd sæpe, qui plurimas audit conciones, libros pios evolvit; non devotus efficiatur? nec fructum hauriat? quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Unus solus lapillus, unum salutare verbum, sat est innumeris orbiculis in corde, totidemque sanctis cogitationibus excitandis. Did. Nils. Polit. cœl. p. 1. c. 6.

Tapetes auro, & byssò intexti pulcherrimasque imagines exhibentes; quamdiu complicati sunt, nè videri quidem merentur, neque etiam ab alijs rebus vilioribus differunt: sed ad parietem extensi inclusam pulchritudinem ostendunt. Sic in Christianæ fidei mysterijs agitur: sancta meditatione latius explicata, & in apertum quodammodo prolata, amplitudinem, majestatem, excellentiamque suam, manifesta-

stant. Ps. 87. 13. *nunquid cognoscuntur in tenebris mirabilia tua? & justitia tua in terra oblivionis?* Bessius D. infra oct. Nat. D.

### §. II.

### Orationis mentalis utilitas, & alia motiva.

*Immisit Dominus Deus soporem*. Gen. 2. 21. Nè ægrè ferret Adam, unam sibi de costis eripi, licet in ejus utilitatem fieret; immisit Deus soporem, id est, ecstasim in Adam; ut hòc modò sopitus dolorem non sentiret. Potuisset quidem Deus ei costam etiam non sopito sine dolore eripere; sed docuit nos, quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquunt, sopiendi sint: iisdem scilicet suadendum, ut divina meditentur: hòc enim cœlesti somnò ab humanis rebus sine dolore; imò magna cum voluptate, avellimur. Diez. conc. 4. in festo S. Andree.

*Ad meditandum*. Gen. 24. 63. Sept. *ad se exercendum*. Periander: sapientis vita est meditatio; & docto cogitare, est vivere. Cornelius hic.

*Pater rem tacitus considerabat*. Gen. 37. 11. Jacob additus fuit considerationi æquæ ac pater Isaac, qui egrediebatur *ad meditandum in agro*: ideoque in omnibus operibus suis erat circumspexus, compositus, & sanctus. S. Bernardus l. 1. de Confid. c. 7. mentem purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, compescit mores, vitam honestat, & ordinat: postremo divinarum pariter, & humanarum, rerum scientiam confert, &c. Cornelius hic.

*Meditaberis in eis atque consurgens &c.* Deut. 6. 7. Incredibile est, quantum animæ possit meditatio matutina. Experientia quotidiana nos clarè docet, eam esse totius societatis nostræ fulcrum, & fundamentum; omnemque zelum, efficaciam, & fructum omnium actionum nostrarum per diem, ex ea manare. Id. hic.

*Nunquid mitis fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: adsumus*. Job. 38. 35. Fulgur, & fulmen, ignes subtilissimi, naturæ perunt sublime. At quia Deus deorsum illa mittit; suæ naturæ oblita, incredibili celeritate ad imarunt. Christi fulgura dixeris eos, qui suam voluntatem pessundant, ut pareant divinæ. Aspirarent quidem ad alta, si suos impetus sequerentur; sed quia Deus vult aliud, ad infima se non inviti demittunt, idque alacritate summâ. Sicut autem fulgura non ex aqua, vel terra, sed à nube densâ, beneque clausâ, profiliunt; ita prompta hæc voluntas provenit à meditatione, quæ nubis instar sublimis volat, sensibus corporis undequaque clausis. Drexelius Heliothr. l. 1. c. 4. §. 3.

*Et erit tanquam lignum &c.* Ps. 3. Dixerat, justum non abisse in consilio impiorum, non sedisse in cathedra pestilentie; addiderat, in lege Dei voluntatem ejus repositam; nec tamen de fructu ab illo edendo mentioem fecit. Ut verò dixit: *& in lege ejus meditabitur die, ac nocte*; tum & arborem eum vocat, & feracitatem ejus deprædicat. Meditatio fertilior præ reliquis. Oliva l. 9. Strom. §. Et erit tanquam lignum.

Lo-

*Locutus sum in corde meo.* Ecclæ 1. 16. Loqui aliquis dicitur in corde suo, cum mentem ad cogitandum applicans secum disputat, & ratiocinatur. Olympiodorus hic.

*Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. 4. S. Ambros. f. 7. in v. 7. Pf. 118. fide eum invenit, meditatione constrinxit.

In curru Ezechielis 1. 10. facies hominis, leonis, bovis, aquilæ. Sed infra, cum eadem spectaret c. 10. v. 14. bovem vidit in Cherub mutatum: *facies una, facies Cherub.* Cur non leo quadrupedum primus; non aquila, regina volucrum; non homo, utriusque princeps, mutantur in Cherub? sed solus bos? Piger bos, sed ruminat. Et illa quidem animalia copiosius, & pretiosius, vescuntur; sed cibum vix mandunt; glutunt verius. Bos autem obvis saginatur fœno; sed, quod deglutit, iterum commolitur, & lentissime mandit. Ille placet, non qui præclara, & sublimia depascitur; sed qui licet alta non intelligat, eatamen, quæ percipit, nunquam fatis secum tacitus meditatur. Oliva 1. 9. Strom. §. Et erit &c.

*Fœnum ut bos comedit.* Dan. 4. 30. Nabuchodonosor ut ex superbo humilis fieret, & Deum nôset; fœnum ut bos comedit. Qui superbis, & turges; si carnis fragilitatem comedes ut bos; eam non cursim, sed cunctanter, recogitando, & ruminando; Deo subderis, teque deprimes. Hoc maxime attendit Deus in pena scelerati regis: nam cum illum quasi in bovem convertit; non tamen eum jugum trahere ut bovem iussit; sed tantum ut more boum aleretur, & ruminaret. *Fœnum ut bos comedit.* q. d. ideò superbis, quia non recogitas. Igitur cogeris ruminare; ut discas recogitare: & tunc Domini potentiam agnosces. Consideratio ex bove mutavit in regem. Il. 1. 3. *Cognovit bos professorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Humilitas præsepe tantum, consideratio Dominum agnovit. Oliva ibid.

*Jacob genuit Joseph virum Mariæ.* Matth. 1. 16. Quid per Jacob, qui supplantator, appellatur, rectius accipitur, quam lucta, & supplantatio vitiorum; quod sit in activa, in qua primum contemplativum exerceri necesse est. Oportet insuper, ut activus ex se gignat meditationem. Est autem meditatio vehemens animi applicatio ad divinum aliquid investigandum, cognoscendum, & degustandum: quæ meditatio rectè per Joseph exprimitur; quia Joseph *crefcens* interpretatur. Neque enim potest aliter anima melius excrefcere spiritualibus augmentis; quam per meditationem fortem, & salubrem; per quam ascendit anima de virtute in virtutem. Gerson f. de Nat. B. V.

Dixit quidam Sanctorum: meditare bona; ut nè mediteris mala: siquidem mens non patitur otium. S. Ephrem adhort. 4. ad Novitium Monach.

Incredibile est nescienti, quam suave sit, de Deo Opt. Max. ex sacris literis meditari, & loqui. Philo Carpath. in Cant. 5. 13.

*Polyantha Sacra. Tom. II.*

## §. III.

## Orationis mentalis neglectæ damna.

*Precepit-nè tangeremus illud.* Gen. 3. 3.

Mendax Eva ait, sibi à Deo fuisse imperatum, non manducabilis ex eo, neque tangetis ex eo. Imò licuisset tangere prius, & meditari multis; quid damni, quidque utilitatis, eibus ille posset asferre? 1. Joan. 1. 1. *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus, oculis nostris quod perspeximus, & manus nostræ contractaverunt de verbo vite.* S. Ambros. l. de parad. c. 12. vides, quod antè velut manibus quibusdam perscrutatus sit Dei verbum, & postea annuntiaverit. Et ideo nihil & Evæ fortasse nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter quibusdam mentis manibus antè tetigisset. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 27.

*Eruerunt oculos ejus.* Judic. 16. 21. Plurimumque prius oculus contemplationis amittitur, & post per carnis desideria hujus Mundi laboribus animus subjugatur. S. Gregor. l. 7. mor. c. 13. prout testatur Samson ab Allophylla captus; qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est.

*Quoniam non intellexerunt opera Domini.* Pf. 27. 5. Significatur his verbis radix omnium malorum: radix enim est, nolle intelligere opera Domini; non applicare animum ad consideranda, & cognoscenda, mirabilia opera Dei; quæ fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione, generis humani. Bellarminus hic.

Qui habent defectum considerationis, inconsideratè volunt, loquuntur, & operantur. S. Thom. Aqu. opus. 38. de erud. princ. l. 2. c. 3.

## §. IV.

## Meditandi materia.

*Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei?* Job. 19. 23. Docemur his verbis sanctè transigere orationis tempora. Scribantur, quæ cogitaveris, sed in silice, & ferreo stylo. Quid est *sermones mei*? hoc est, qui me spectent. Non rarè in meditatione Medici evadimus qui infirmi accesseramus. Invehimur in aliena peccata, qui nostra inexplorata mittimus. Vulneribus scatescentes fratrum pustulas religiosè curamus. Oliva t. 2. Serom. §. Quis mihi tribuat &c.

*Manè astabo tibi & videbo.* Pf. 5. 5. Materia præcipua contemplationis meæ erit, considerare; nihil te magis odisse, quam peccatum; innocentiam, & justitiam, tibi summo-perè gratam esse. Bellarminus hic.

*In circuitu, & intus plena sunt oculis.* Apoc. 4. 8. antè: quia Evangelium dat nobis multiplicem cognitionem futurorum, quæ ante nos sunt: aperit oculos, ad expectanda præmia, quæ Deus iustis pollicetur: & ut caveamus horrenda mala, quæ impiis minatur. Secundò *plena oculis* retrò: ostendit nobis quod fuimus, ex pulvere terræ: ostendit exempla priorum, plena

L. 1. 2 in

in circuitu; ad videndum, quæ circa nos sunt, & rectè ordinanda. *Plena oculis intus*, ad videndum interna. Sylveira hic. Hæc spiritualis est exercitii summa, hæc forma studii spiritualis; ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ præterita; futura quoque sollicitè provideamus. S. Bernardus f. 2. in festo SS. Petri, & Pauli.

Sit potior meditatio tua, & affectus frequentior, circa humilia vestigia Jesu; & noli ad

alta citò conscendere, nè opprimaris à gloria. Thom. Kemp. Soliloqu. an. c. 12.

Primum contemplationis genus est in consideratione, & admiratione, rerum corporaliū, in omnibus, quæ per quinque sensus corporeos ingrediuntur ad animum; & est quidem omnium infimum, & debet esse incipientium. Rich. à S. Viç. de arca myst. l. 2. c. 1.

## TITULUS XI. ORDO.

### Ex Veteri.

**I**N principio creavit Deus cælum, & terram. Gen. 1. 1. Cum Dominum legimus cum sapientia, & quodam consilio, & dispositione, fecisse, & ordine: ut primò cælum fieret, quod est pulcherrimum: oportet; ut eò primum oculos erigamus, illò nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. S. Ambros. ep. 39. Poterant quidem omnia, tanquam unum aliquid, & subito existere: verum idcirco primum quiddam, ac secundum, & tertium, atque ita porro sequentia, numerantur: ut statim una cum ipsius creatis ordo induceretur. Ordo cælestis, terrestriaque, continet. Ordo est in diei, noctisque, mensuris, & intervallis. Si ordo rerum potitur, universum hoc venustas est, ac pulchritudo perpetua, & immobilis. Confusio verò, & perturbatio, in aere quidem fulmina, in terra succussiones, in mari exundationes, in urbibus ac familiis bella; in corporibus morbos, in animis peccata; quasi novas res moliendo, introduxit. Quin etiam celebrem illum rerum interitum, quem expectamus, nihil aliud esse putamus, quam confusiois abundantiam. Et enim ordo colligat, confusio dissolvit. Ordo cunctis etiam animalibus ortum, alimoniam, convenientia singulis loca præscripsit. Etiam in Ecclesiis ordo definit, ut aliud quidem sit ovile, alii verò pastores: aliud cum imperio præsit, aliud cum imperio sublit: aliud sit capitis instar, aliud pedum; aliud manuum, aliud oculorum. S. Gregor. Naz. or. 7. de spiritu S.

*Major pars venit Benjamin; ita ut quinque partibus excederet.* Gen. 43. 34. Sed quò ordine accubuerunt? an Benjamin loco superiori honorârunt? *Sederunt coram eo primogenit⁹ juxta primogenita sua, & minim⁹ juxta etatem suam.* v. 33. Cur non Joseph illum aequè dignitate loci, ac partis magnitudine, honoravit? Oleaster hic: amabilis fuit Josepho Benjamin: verum & amabilis est ordo, ut unaquæq; res suo loco consistat. Et à principio Mundi primus locus primogenito debitus est: ne-

que est, quod magis homines, quàm ordinem mirantur. Did. Niss. D. ult. Pent. §. 3.

*De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Judic. 5. 20. Ordini, quem stellæ à Deo præscriptum servârunt, adscribitur victoria. *Divisitq; trecentos viros in tres partes.* Judic. 7. 16. Ordine disposuit paucos milites; & hostis cæsus. Alvarez. in Gen. 33. Illustr. 12.

*In omnem terram exivit sonus eorum.* Ps. 18. 5. Secundum Aquilam: exivit ordo ipsorum. Nam nec sermonem, inquit, emittentes, nec verba proferentes; sed regulam, & proprium ordinem, demonstrantes; omnes terram, atque mare, ad divinas laudes decantandas invitant. B. Theodoretus hic.

*Attingit à fine usque ad finem.* Sap. 8. 1. Non est locus, ubi non imperat Sapientia. Nempe ubi ordo est, ibi imperat Sapientia, quæ orbem universum in aequitate gubernat. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 12.

### Ex Novo.

*Ubi est qui natus est?* Matth. 2. 2. Quamquam Christus infans loqui potuisset tertio decimo die à die Nativitatis; sicut Joannes *exultavit in utero*: sed quia ordinem in ordinatis daturus advenerat, in seipso ante servavit. Sim. Cas. l. 1. c. 15.

*Et præcepit turba discumbere.* Marci 8. 6. Habemus exemplum, quàm Deo placeat ordo. S. Vincent. Ferr. l. 1. D. 7. Trinit.

*Facite illos discumbere, per convivium quinquagenis.* Luc. 9. 14. idque propter ordinem. Stella hic.

*Omnia autem honestè, & secundum ordinem, fiant.* 1. Cor. 14. 40.

### Ex Patribus, & aliis.

In bona voluntate pax nobis est. Corpus pondere suo nititur ad locum suum, pondus non ad iuna tantum est, sed ad locum suum ignis sursum